

12
125

THESES DE
PERSONA CHRISTI,
PRÆDESTINATIONE FILIO-
RVM DEI, ET
LIBERO ARBITRIO.

Quas, DE I adiuvante gratia, Praside
ÆGIDIO HVNNIO, S. Theologiæ Doctore, &
Professore, publicè, pro summo in Theo-
logia Gradu consequendo, pro-
pugnabunt.

M. VVolfgangus Mamphrasius, Ecclesiæ
VVurtzensis Superintendens.

M. David Rungius, S. Theol. & Hebrææ lin-
guæ Professor in Academia Grypsvval-
densi.

Philippus Nicolai, Ecclesiæ Vvildungensis Pa-
leopolitane, in Comitatu VValdeccensi,
Pastor.

In Auditorio Theologico, die 28. Iunij,
Anno salutis 1594.

VVITTEBERGAE
Excudebat Vidua Matthæi
VVelaci.

ANN O M. D, XCIIII.

THESE
PERSONA CHRISTI
PRAEDESTINATIONE TILIO
LIBERO ARBITRIO

Quae, P. E. I. adinvenit gratia, P. afflicta
A. G. I. O. H. N. I. S. Theologiae Doctor &
P. I. C. H. O. R. O. P. R. A. E. P. R. O. T. U. M. I. N. O. A. T. I. O. N. I. S.
I. G. G. I. A. G. I. A. D. I. S. P. U. T. A. T. I. O. N. I. S. P. R. O. P. O. S. I. T. I. O. N. I. S.

M. V. I. S. S. I. M. I. L. I. A. N. I. S. M. A. G. I. S. T. R. I. C. I. S. E. C. C. L. E. S. I. A. E.
I. V. I. S. S. I. M. I. L. I. A. N. I. S. S. U. P. E. R. I. N. T. E. N. T. I. A. S.
M. D. A. V. I. D. R. A. V. I. N. I. S. S. T. H. E. O. L. O. G. I. C. I. S. E. C. C. L. E. S. I. A. E.
I. G. G. I. A. P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S. A. C. A. D. E. M. I. A. E. G. I. P. S. I. O. R. I. A. E.
P. H. I. L. I. P. P. I. U. S. N. I. C. O. L. A. I. S. E. C. C. L. E. S. I. A. E. V. I. S. S. I. M. I. L. I. A. N. I. S. P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S. P. A. R. I. S. I. E. N. S. I. S.
I. N. C. O. M. M. I. S. S. I. O. N. I. S. V. I. S. S. I. M. I. L. I. A. N. I. S. P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S. P. A. R. I. S. I. E. N. S. I. S.

In Auditorio Theologico, die 28. Junij
Anno 1794

W. I. T. T. E. R. B. O. R. G. E.
Excudebat Vidua Malthusii
V. V. claci.
M. D. C. C. X. C. I. I. I. I.



126

DE PERSONA CHRIS- TI DISPVTATIO.

Propositio prima.



Christus Iesus in una persona verus est De-
us, à Patre in aeternitate genitus, & verus
corpore animaq; rationali homo, ex sub-
stantia matris in seculo natus.

2. Unus igitur est Christus in duabus
naturis, inconfusè, inconvertibiliter, indi-

uisè, & inseparabiliter unitis agnoscendus.

3. Et Divina quidem Christi Natura est αὐτοτελής καὶ
ἐκθυσάτω. Humana verò non est persona, nec tamen sim-
pliciter ἀκυσάτω, personata quippe à λόγῳ, in eiusq; perso-
na inenarrabiliter subsistens.

4. Hac unione λόγῳ totus (ἀμείγιστος quippe) carnò
καὶ ὑπόστασις unitus est ὁλοκῶς, omni scilicet plenitudine Deia-
tatis verbi in Carne σωματικῶς, hoc est, tanquam in proprio
suo corpore, & templo inhabitante, Coloss. 2.

5. Qua totali inhabitatione & immanentia, neq; Caro
extra λόγον est, neq; vicissim λόγῳ extra carnem suam: nec
tamen ὁ λόγῳ infinitatem suam exiit, sed naturam potius
humanam, finitam perpetuò permanentem, in infinita sua
ὑπόστασει, realem κοινωνίαν attollit.

6. Atq; hic est diviniſſime huius assumptionis termi-
nus, IN QVEM humana Domini Caro per Vnionem trans-
lata est: videlicet, propria æterni, & unigeniti filij DEI
ὑπόστασις

7. Quod Divus Athanasius agnoscit in Symbolo, Vnio-
nem definiens assumptione Humanitatis IN DEVM.

8. Et hunc secutus Damascenus scribit, Carnem ἐν αὐτῷ
τῷ λόγῳ suam ὑπόστασιν obtinere.

9. Itaq; prout Christi Salvatoris Humanitas in ipso met
λόγῳ est, suamq; in illius hypostasi existentiam habet: localit
tati certè subiecta non est, sed loca potius ad unum omnia, ut
unionis, altissimè transcendit.

10. Quamquam enim in statu Exinanitionis Christus
humanitatem suam, ut reliquis indigentia mundane admis
niculis, ita & localitati subiectam esse voluit (qua ratione
Christus de loco in locum, non simulate, sed verè progressus,
suaq; itinera in Iudæa & Galilæa per veram, atq; solidam cor
poris sui ambulationem, locorumq; mutationem confecisse le
gitur) tamen ratione personalis istius existentia, certum est,
illam, non in creato aliquo termino, veluti loco, sed in hypo
stasi creatoris, supra, & extra universam creati mundi loca
litem, in alio quasi mundo, ut Divus Lutherus loquitur,
esse considerandam.

Ioan. 1.

Ierem. 23.

1. Cor. 15.

11. Unio hæc sic describenda est, ut eius vi, Verbum, Ca
ro, germen Davidis, Iehova, & secundus ille homo ex virgi
ne sumptus, ipse dicatur esse Dominus de Cælo.

12. Quam ad rem, ipsarummet naturarum inter se
κοινωνία requiritur, qua & ὁ λόγος carnis atque sanguinis
μετέχῃ, Heb. 2. & vicissim assumptæ carni sese totum ita
communicat, ut, Antiquitate teste, ὑπόστασις verbi sit quoq;
carnis ὑπόστασις: & humana Domini caro ipsius Deitatis, seu
Divine nature καὶ ὑπόστασις particeps evadat.

13. Hinc orta communicatio Idiomatum, cuius tria ge
nera in Christiane Concordiæ libro commemorantur.

14. Primum est, quando id, quod uni nature proprium
est, tribuitur non seorsim ei nature, cuius est proprium, sed
personæ, rursusq; per distinctivam particulam ostenditur,
iuxta quam naturam id personæ competat.

15. Huc pertinent Propositiones: *filius DEI est natus ex
Virgine*

Virgine, Luc. 1. & Gal. 4. Verbum vite visum est Apostolorum oculis, illorumq; manibus contrectatum: Dominus gloria crucifixus est, & autor vite interfectus. 1. Ioan. 1. 1. Cor. 2. Act. 3.

16. Nec sunt propositiones verbales, sed reales, vera, & ita solide, ut nisi ipsemet Dei filius realiter ex Maria natus, passus, crucifixus, & occisus sit, sed phrasi duntaxat, modoq; loquendi; nos κατὰ φράσιν tantum, & non re ipsa (quod absit) redempti simus.

17. Interim tribuuntur ista filio Dei, non iuxta inconvertibilem Deitatem, sed secundum ipsius humanitatem. Rom. 1. Rom. 9. Ideo ex semine Davidis genitus predicatur secundum carnem, & dicitur esse ex patribus secundum Carnem, scribitur passus pro nobis Carne &c. 1. Pet. 4.

18. Secundum genus eminent in officio Christi, quod exequitur non secundum alteram duntaxat Naturam, sed utramq; operante natura una, cum communicatione alterius, quod cuiq; est proprium.

19. Quomodo Christus non ulterius tantum, sed utriusq; nature ratione dicitur esse noster Rex, Sacerdos, Mediator, Redemptor, Pastor, caput &c.

20. Tertium, quod versatur in communicatione divine Maiestatis, est, quod filius Dei naturam assumptam sibi uniens, plenitudine sui illam Spiritus inunxit, idq; Baptista teste, non iuxta mensuram. Ioan. 3.

21. Sic Petrus Act. 10. testatur, Deum unxisse Iesum Nazarenum Spiritu sancto, & potentia, & quidem potentia ea, qua Christus sua in terris miracula operatus est, benefacendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo. Act. 10.

22. Quam non, nisi divine, & increate τὸ νόον potentie esse periphrasin, vel ex eo liquet, quia miracula, que fecit, non ulli create potentie, sed soli increate, ac divine, scriptura teste, competunt.

23. Sic Luca 5. cum tangitur ab hemorrhosa, virtus egredi-



egreditur ex ipso, quae mulierem per divinum miraculum ab
inveterato, desperatoq; morbo liberaret.

24. Et Luc. 6. turba querebat illum tangere, quia vir-
tus ab illo exiebat, & sanabat omnes.

25. Idem testatur ipse Dominus, tribuens Carni &
Sanguini suo divinam illam *δωρα* ad vitam eternam a-
lendi, & vivificandi.

26. Unctus etiam iuxta carnem est, scientiâ Deitatis
propria, qua etiam in statu exinanitionis cognoscebat cogi-
tata hostium. Matth. 9. noscens omnes, nec opus habens, ut
quisquam testaretur de homine, ipse enim sciebat, quid esset
in homine, Ioannis 2.

Coloss. 2.

Matth. 15.

27. Duodecimo in super etatis anno specimen edens di-
vine sapientie sue, cuius thesauri omnes in sancta ipsius
anima erant reconditi, Coloss. 2.

28. Presentie quoq; admiranda sue documentum illustre
dedit in Sacramento Cæne, corpus & sanguinem suum illo-
calis presentie modo dispensans Apostolis suis, diversa loca
mensæ occupantibus.

29. Hec porro enumerata omnia, non, nisi particularis
quadam erant declaratio Maiestatis, per unionem accepta.

30. Nunc autem ad dextram Dei subiectus eandem ple-
naria usurpatione declarat, & absq; omni prorsus intermis-
sione potenter exerit.

31. Estq; articulus sessionis ad dextram Dei immotum
fundamentum doctrine de reali communicatione Idioma-
tum.

32. Etenim dextra illa Dei, nec locum aliquem creatum
denotat, nec dona creata, nec potestatem limitibus circum-
scriptam sed infinitam prorsus, & increatam Dei potentiam,
qua condidit, & presenter conservat, regit, & gubernat Deus
universa in cælo, & in terra. Psal. 18. 77. 118. 139. Esa.
48. Ideoq; dextra POTENTIAE DEI nuncupatur, Luc. 22.

Ad

33. Ad hanc dextram Dei exaltatus est Christus, non Deitate, quippe, quae est ipsa patris Omnipotentis dextra, & invariabilis cum sit, nec humiliari se ipsa, nec exaltari poterat.

34. Est verò exaltatus iuxta carnem, quia prius ad mortem crucis usq; humiliatus, qua passus, crucifixus, mortuus, sepultus, resuscitatus, & in Caelos subuectus est.

35. Secundum hanc, inquam, naturam consedit à dext- Ephes. 1.
ris Maiestatis: accepta potestate omni in caelo & in terra: Hebr. 1.
adeo q; potestate ea, qua praesidere posset cunctis operibus ma- Matth. 28.
naum Dei, id est, divina verè & increata, Deitatisq; verbi Psal. 8.
propria, per Vnionem autem assumpta humanitati commu-
nicata.

36. Quae aeterna Dei potestas data ipsi est, quâ filius ho-
minis est, Dan. 7. Sicut & sublimem illam, planèq; divinam
potestatem iudicium facendi, Christus inidem sibi datam
esse ait, quâ sit filius hominis, Ioan. 5.

37. Omniscientia quoq; Maiestatas nunc ad dextram Dei
plenissimo usu sese exerit in humanitate Christi, ut Christus,
quâ homo, non tam crescat amplius sapientia, aut ignoret
horam iudicij, sicut olim humilitatis tempore, sed verè per-
fectèq; cognoscat, & intueatur, absq; ulla penitus exceptione
universa.

38. Tribuit ei hanc laudem post resurrectionem Petrus,
Ioan. 21. Domine, tu scis OMNIA.

39. Cumq; adorandus etiam, quâ homo, sit ab omni
creatura (per gratiam enim datum ei est, ut flectatur illi om-
ne genu, Philip. 2. & dignus erat agnus, QVI OCCISVS
est, accipere sublimem istam gloriam adorationis, Apoc. 5.)
res ipsa postulat, ut etiam iuxta naturam humanam aspiciat
corda, fidem, gemitus, & desideria invocantium se: alioquin
ad ipsum secundum humanitatem frustra omnis dirigitur
invocatio.

40. At



40. At corda omnium fidelium, eorumq; intima deside-
ria scrutari & cognoscere, cum soli increata sapientia Dei
compelat: 1. Regum 8. necessario invocatio illa Christi ho-
minis realem increata huius sapientia Dei *κωνωία* presup-
ponit, eamq; irrefutabiliter evincit.

41. Citra cuius realem *κωνωία* neq; iudicium orbis cele-
brare posset Christus, qua homo: utpote in quo iudicio iudi-
cabuntur occulta tenebrarum, adeoq; abstrusissima cogitatio-
nes, consiliaq; cordium, Rom. 2. & 1. Cor. 4. que non nisi sa-
pientia Deo proprie, Christo autem per *Υνιονem* communi-
cata, patere solent.

42. Deniq; verò in dextra Dei enitescit etiam Omnipre-
sentia Christi hominis adoranda Maestas, quod non tan-
tum, ut Deus, sed etiam, ut homo, presens sit, primò quidem
Ecclesie sue: imò versetur *IN MEDIO* duorum, aut trium
etiam, qui in ipseus nomine congregati sunt, Matt. 18.

43. Quemadmodum in celos ascensurus promisit: ecce
obiscum sum usq; ad finem seculi, Matth. 28. Et ad DEI
dextram iam subiectus, scribitur, Apostolis egressis, & ubiq;
predicantibus cooperatus per signa subsequenta. Marci 16.

44. Et Ioannes in Spiritu videt illum, quã filius homi-
nis est, ambulantem *IN MEDIO* candelabrorum aureo-
rum, hoc est, Ecclesiarum Asiae. Apocal. 1. & 2. Sicut & Paulo
in castris Lysianis assistit, eiq; veritatem promissi de presen-
tia sua manifestè comprobat. Act. 23.

45. Eiusq; presentie in Ecclesia testimonium & sigillum
est sacra Cæna, ubi corporis, & sanguinis sui, non procul ab-
sentis, sed presentis, realem participationem, seu *κωνωία*
Testamento nobis sanxit & disposuit.

46. Presens verò est etiam extra Ecclesiam, siquidem
in dextra Dei dominatur *IN MEDIO* inimicorum suorum.
Psal. 110.

47. Deniq; presens est creaturis omnibus. Quod Aposto-
lus

lus phrasi (IMPLERE OMNIA) expressum voluit, Ephe.
 1. & 4. ut & marginalis glossa Biblica super locum, Ephe. 1.
 non de operatione solum, sed & de presentia palam exponit.
 48. Dominatur enim iuxta tenorem Psalmi 8. omnibus
 creaturis, idq; non ex throno longe remoto absens, sed ex O-
 MNIPRAESENTIAE solio, dextra nimirum Dei, pre-
 sens: non creaturis inclusus, aut comprehensus, sed ipse po-
 tius CONTINENS, comprehendens, & ut scriptura phra-
 sis habet, in manibus habens omnes creaturas.

49. Faceffat igitur calumnia de inclusione humanitatis
 in lapides ligna &c. ut & portentum de extensione carnis.

50. Non enim localis est haec, quam docemus, Omnipresen-
 tia Christi Maestas, ut iuxta locorum differentias aliquam
 Humanitatis extensionem efficiat: sed iuxta modum dextrae
 Dei plane illocalis, ideog; ab hoc immani portento fictura ex-
 pansionis, alijsq; absurditatibus undiquaq; libera, & immunis.

51. Nec sequi ex doctrina hac ullam confusionem, aut ex-
 quationem naturarum, aut proprietatum Deitatis in huma-
 nam naturam Effusionem physicam, demonstratum abunde
 est in Concordia libro, & monebitur amplius inventus in ipsa
 Disputatione, cum adverse partis argumenta excutientur.

DE PRÆCEDENTIBVS RESPONDE-
 bit M. Wolfgangus Mamphraus.

SECUNDVM CAPVT.

DE ELECTIONE SEV PRÆDE-

stinatione filiorum Dei ad salutem respondebit

M. David Rungius.

I.

Liber Concordie ex professo tractans hunc articu-
 lum, & contra quosvis partim exortos, partim
 exorturos errores, summo studio munire cupiens,
 quinquies salvificam illam electionem nominat
 B Electio-



Electiōnem FILIORVM DEI ad vitam, & salutem: ipsa nimirum titulo docens, non se ullam in Scripturis Electiōnem ad salutem invenire, aut agnoscere, quam que ad Dei filios unice pertineat.

2. *Eundem ergo titulum, toties ibi repetitum, usurpare, & Theibus hisce nostris praefigere, fas nobis esto.*

3. *Ante omnia autem inter Praescientiam, & Praedestinationem accuratè distinguendum est*

4. *Praescientia est universorum, quae sunt, fuerunt, aut erunt; & ad malos etiam extenditur.*

5. *Aeterna verò electio, seu praedestinatio ad salutem NON simul ad bonos, & ad malos, sed TANTVM ad bonos, & ad filios Dei pertinet, inquit Epitome iuxta, & Liber ipse Concordiae.*

6. *Praescientia Dei notitiam rerum praescitarum significat: Praedestinatio verò non notitiam solum denotat, sed in super CAUSA est salutis, estq; specialis ACTIO Dei, decernens, procurans, efficiens, iuvans, promovens, & ad optatum finem deducens salutem electorum.*

7. *Errant igitur Calviniani, qui praescientiam cum praedestinatione confundentes, praescientiam causam omnium rerum praescitarum, atq; sic consequenter omnium quoq; scelerum & flagitiorum constituunt, quod alibi ex ipsorum scriptis est demonstratum.*

8. *Non minus teter esset error, si quis Praedestinationem, vel electiōnem salvandorum ex mera praescientia definire, & concurrentem specialem illam, quam diximus, actionem efficacem Dei tollere vellet.*

Rom. 8.
I. Pet. 1.

9. *Interim licet à praescientia Praedestinatio suis limitibus distinguatur, non tamen hac ab illa determinatè sumptâ, divellitur aut separatur, siquidem & Apostoli scribunt, QVOS PRAESCIVIT, hos praedestinavit. Et rursus electi:*

electi estis, κατὰ πρόγνωσιν secundum præcognitionem; vel præscientiam Dei.

10. Ideoq; liber Concordia sic inter prædestinationem & præscientiam distinguit, ut nihilominus hanc cum illa manifestissimè coniungat, dicens: Deus illo suo consilio, proposito, & ordinatione, non tantum in genere salutem suorum procuravit: Verum etiam omnes, & singulas personas electorum, (qui per Christum salvandi sunt) CLEMENTER PRÆSCIVIT, ad salutem elegit, &c.

11. Sic ergò definimus illam: Prædestinatio est divina voluntatis propositum, seu decretum, ab æterno factum, quo Deus pater, ex mera gratia, iuxta præcognitionem suam in Christo Iesu, filio suo, ad salutem elegit, & certò salvare constituit eos omnes, qui operatione Spiritus sancti credituri erant in ipso ad vitam æternam.

12. Hec definitio, quia totius nostre Disputationis quasi cævothe futura est: membratim illam ad sacræ scripturæ canonem exigamus.

13. Et primò quidem Paulus electionem nostræ ad salutem diserta voce nominat propositum, & decretum voluntatis Dei, quando nos prædestinatos scribit secundum propositum ipsius, & iuxta decretum voluntatis ipsius, Ephe. 1.

14. Unde liquet, Electionem, à voluntate illa generali, quæ approbationis dicitur, & qua vult Deus, omnes homines salvos fieri, necessariò esse distinguendam.

15. Etenim voluntate approbante, Deus aliqua vult, quæ tamen in actum non traducuntur. Vult converti totum mundum, nec tamen totus mundus convertitur.

16. Ceterum voluntate decreti seu propositi, quæ Deus statuit, ea certò eveniunt. Iuxta illud Esa. 44. Dominus exercituum decrevit, quis poterit infirmare? Et rursus: Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Esa. 46.

B 2

Quoni.

17. Quoniam ergo predestinatio definitur voluntate
DECRETI sequitur, eam evacuari, aut eventu contrario
interverti non posse: ac proinde ad eos solos esse referendam,
qui salutem consequuntur. Iuxta illud: Quod querit Israel,
non est assecutus: Electio autem ASSECVTA est.
18. De hac DECRETI voluntate, qua Electio defini-
tur, Concordia Formula palam enunciat, quod Deus in eter-
no suo consilio DECREVERIT, quod PRÆTER eos,
qui filium eius Iesum Christum AGNOSCVNT, & in
eum verè CREDVNT, NE MINEM saluum facere
velit.
19. Porro electionem ab eterno esse factam, Paulus testis
est, scribens Ephes. 1. Elegit nos in ipso, antequam iaceren-
tur fundamenta mundi.
20. Hoc indubitato credimus, docemus, profitemur, &
testamur sollemniter, Electionem non demum fieri in tempore,
multoq; minus post mortem demum hominis, sed ut rursus
docet Apostolus, ante tempora aeterna, 2 Timoth. 1.
21. Porro cum in definitione additur, eligere Deum ho-
mines ex gratia prima notatur causa, principium & fons
electionis nostræ, Gratia Dei.
22. Sicut scriptum est, Ephes. 1. Predestinavit nos, ut
adoptaret in filios, per Iesum Christum in sese iuxta eudoniap
voluntatis suæ, ut laudetur gloria gratiæ suæ.
23. Falsum igitur est commentum, Deum ob prævisa
bona opera predestinare homines ad vitam æternam.
24. Cui pronuntiatio scriptura palam contradicit, Rom.
9. nondum natis pueris, cum neque boni quippiam fecissent,
neque mali, ut secundum electionem propositum Dei mane-
ret, dictum est illi: maior serviet minori: sicut scriptum est:
Iacob dilexi: Esau verò odio habui.
25. Quem typum Iacobi & Esau Paulus ad mysterium
æterna Predestinationis illustrandum referens, haud obscure
docet,

docet, electionem nostram merè esse gratuitam, neq; ex ullo bonorum operum dependere vel merito, vel intuitu.

26. Quod iterum Paulus Rom. 11. testatur, inquit: Sic igitur & in hoc tempore reliquæ secundum electionem gratiæ fuerunt. Quod si per gratiam, non iam ex operibus.

27. Itaque nihil in nobis intuetur Dominus, cuius dignitate, vel merito ad Electionem nostri moveatur, adeò, ut ne fides quidem ingrediatur hoc electionis arcanum, quatenus in nobis est, sed tantum quatenus extra nos quasi egrediens, illam æternæ salutis nostræ rupem, Iesum Christum, apprehendit.

28. Obiter hic monenda est Inventus de tribus terminis, quorum complexu definitur Electio.

29. Et quidem Gratia Dei, est terminus, A QVO oritur electio. Redemptio per Christum facta, est terminus, PER QVEM nobis parata ea est: salus autem, seu vita æterna, hereditas filiorum Dei, est terminus, AD QVEM seu finem ultimum tendit Electio.

30. Itaq; si propriè, & ex scriptura sensu atq; usu loquamur, non ad gratiam, vel ad redemptionem, sed EX gratia, PER redemptionem illam Christi AD regnum cælestè, seu vitam æternam dicimur esse prædestinati.

31. Verùm, ut in definitione progrediamur, quod adiicitur (iuxta præcognitionem suam) sumptum est ex Epistola Petri priorè, qua fideles, quibus scribit, definit electos κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ πατρὸς, secundum PRÆCOGNITIONEM aut præscientiam Dei Patris.

32. Petro suffragatur Paulus, Rom. 8. Quos PRÆSCIVIT, hos & prædestinavit.

33. Quibus verbis Apostolus ad discrimen prædestinatorum & non prædestinatorum respiciens, non omnes simpliciter homines, sed speciali ratione præscitos prædestinatos esse confirmat.

B 3 Etenim

34. Etenim illud præscire non indeterminate hoc in loco, sed determinate sumitur.

35. Aliàs quia præscientiæ Dei universali & indeterminate subjacent etiam impij, si hac illimitata significatione vox præscientiæ hic accipienda foret; concideret differentia, quam Paulus facit inter electos & non electos, referens (ut contextus verborum arguit) prædestinationem salutis ad solos eos, qui diligunt Deum, qui conformes fiunt imagini filij Dei, qui vocantur, qui iustificantur, & tandem glorificantur.

36. Specialiter igitur accipias oportet hoc Apostoli: quos præscivit, cum determinatione videlicet ad Christum, in quo facta electio est: ut indubius verborum sensus sit hic: quos præscivit, fore Christi per fidem, eos prædestinavit.

37. Quamobrem etiam in definitione subiungimus, Deum nos elegisse ad salutem IN CHRISTO IESU.

38. Idq; repetitum est extractatu Paulino, Ephes. 1. Elegit nos IN ipso, antequam iacerentur fundamenta mundi. Et mox: prædestinavit nos, ut adoptaret in filios per Iesum Christum.

39. Errant igitur Calvinista, qui prædestinationem fingunt absolutam, descriptam ex sola, planeq; indeterminate, & simplici voluntate Dei, omnes reliquas causas antegressa: cui deinde Christum in executione duntaxat substerunt, non autem ipsius primo & supremo Electionis æternæ proposito inclusum esse censent.

40. Nos verò cum Apostolo decernimus, illud æternæ prædestinationis propositum sic in Christo esse fundatum, ut absque intuitu Christi, & sacrosancti meriti eius nemo quisquam ad vitam eligi potuerit.

41. Vt enim eligerentur peccatores, fieri salva Dei iustitia

stitia non poterat, nisi interposito satisfactionis precio, quo
lase aeterna iustitia Dei pro peccatis ad plenum satisfaceret.

42. Iam quia satisfactio illa Christi nobis ad salutem
nihil prodest, nisi fide applicetur: sponte sequitur, Deum ele-
gisse peccatores in Christo, non per incredulitatem reiecto,
aut ignorato, sed fide agnito & apprehenso.

43. Quo pertinent Libri Concordie verba supra memo-
rata, decrevisse Deum in aeterno suo consilio, quod prater eos,
qui filium eius, Iesum Christum AGNOSCVNT, & in eum
verè credunt, neminem salvum facere velit.

44. Si decrevit, neminem salvum facere sine Christo
per fidem agnito: utiq; neminem etiam ad salutem illam ele-
git absq; Christo agnito: quandoquidem ab aeterno decerne-
re, salvare, & ad salutem ab aeterno eligere, prorsus equipob-
lent.

45. Itaq; haud abs re fides in Christum Iesum ipsam deo
fnitionem electionis nostrae ingreditur, cum dicimus, elegisse
Deum illos omnes, qui credituri erant in Christo ad vitam
aeternam. Neque vel Pelagianismum, vel Synergismum sapez
re hanc ipsorummet Apostolorum doctrinam, paulò post per
Dei gratiam hac luce clarius ostendetur.

46. Certè Paulus, ut docet, IN CHRISTO nos esse
predestinatos, Ephe. 1. sic non minori perspicuitate tradit, nos
ἐν τῇ πίστει τῆς ἀληθείας, IN FIDE veritatis esse electos ad
salutem, 2. Thess. 2.

47. Vbi fides non ex sua aestimatur vel dignitate, vel
merito: sed ex dignitate sui correlati, nempe Christi, quem
ipsa fiducialiter agnoscit & amplectitur.

48. Et quia secundum Apostoli vocem Electio facta est
in Christo: certè electi non sunt, nisi qui sunt in Christo. In
Christo verò nemo quisquam est, nisi per fidem.

49. Planum etiam est, Electionem ad salutem definiri
predestinationem ἐν ἰσχυρίᾳ, adoptionem filiorum, Ephe. 1.
A3



50. At praedestinationem hanc ad ὑποθετικῶν, scribit Iohannes, locum habere in solis credentibus; Dedit, inquit, potestatem filios Dei fieri, nimirum his, qui CREDIDISSENT in nomen ipsius. Ioan. 1.
51. Eadem praedestinatio citra specialem Dei amorem & dilectionem, qua, ut filios, complectitur electos suos, eosq; diligit IN DILECTO, constare nullo modo potest. Ephes. 1.
52. Iam verò speciali hac dilectione Dei, Spiritus sanctus neminem à Deo diligi sine fide luculentissimè testatur, Heb. 11. cum ait: ἀδύνατον, IMPOSSIBILE est Deo placere sine fide. Ergò nemo etiam eligitur ad salutem sine fide, id est, sine Christo fide cognito & apprehenso.
53. Quamprimum ab Electione fidem (ut ea relatè sese habet) removes, protinus ipsum Christum inde removisti. Ratio consequentiae est haec: quia Christus ad salutem nobis ociosus manet, nisi fide agnoscatur, eiusq; meritum applicetur.
54. Adhuc Deus non alio modo nos salvat in tempore, quàm quo ab aeterno constituit salvare: propositum enim, & executio propositi sibi mutuò corresponsdeant oportet.
55. Iam verò in tempore salvat Deus non nisi credentes in Christum. Ioan. 3. & Marci 16. Ergò & ab aeterno ter crevit salvare, seu (quod idem est) ad salutem istam elegit, non nisi hos, qui credituri erant in Christum.
56. Praecognovit enim Deus, qui essent ex auditu verbi, operatione Spiritus sancti, consecuturi fidem: & quia extra temporis rationem aspicit fidem in Christum, seu potius aspicit Christum fide cognitum: ideo explicata illa de Deo κατὰ ἀναγκασιότατον loquendi ratione, potius ad salutem DESTINARE dicitur CREDENTES, quàm PRAEdestinare CREDITVROS.
57. Non autem ociosè praecognovit eorum in Christum fidem, sed id ipsum, quod de illis praescivit, gratis ipse dare consti-

133
constituit ijs omnibus, qui (ut Salvatoris voce loquar) audi- Ioan. 6.
unt à patre, & discunt.

58. Qui verò ipse auditus verbi (ex quo fidem existere Rom. 10.
Paulus affirmat) non meriti rationem habet, sed organi dun-
taxat.

59. Siquidem Deo ita visum est, per predicatum &
auditum verbum conferre fidem, & salvos facere credentes.

60. Quemadmodum neq; auditus iste verbi per se hoc
efficit, ut fidem inde consequamur; sed Deus solus est, qui au-
scultatione verbi mediante, fidem in nobis accendit.

61. Quin ne audire quidem verbum possemus, nisi Deus
misericordia sua nos preveniens, verbum illud salutis mani-
festaret, adeoq; ab aeterno decretum faceret, quod per istam
Evangelij predicationem vellet esse efficax.

62. Quod aeternae salutis organum qui vel negligunt,
vel contemnunt, non iam aliquod absolutum Dei decretum
Calvinisticum (quale nullum in scripturis obvium est) accu-
sent, se. culpam damnationis omnem sibi imputent, dicentia
bus ad huiusmodi contemptores Apostolis: vobis oportebat
primò predicari sermonem Dei: sed **QVIA REPELLITIS**
illum, & indignos vos iudicatis aeterna vita, ecce ad gentes
convertimur. Act. 13.

63. Sic ergò praescivit Deus de Electis, non id, quod ipsi
ad efficientiam salutis suae allaturi erant, sed quod ipsemet
eis misericorditer erat largiturus; idq; non immediatè, sed
mediatè, per ordinatà conversionis organa, ea verò non
neglecta, vel spreta, sed usurpata, quod & parabola Christi,
de diversitate Auditorum verbi, non obscure declarat. Luc. 8.

64. Quae cum ita sint, firmum fixum manet, quod Chri- Ioan. 15.
stus ait: non vos me elegistis, sed ego vos: quandoquidem
Christus non tantum fidem ipsam operatur, sed omnem quo-
que cursum, voluntatemq; in auditu externo verbi misericor-

C dia

dia sua multipliciter antevertit, ijs nimirum modis, qui haec
etenus sunt expositi.

65. Tenenda est hac de re brevis, erudita, & rotunda
sententia Fulgentij, qua hanc de praescita fide electorum do-
ctrinam à Pelagianismi & Synergismi crimine sic vindicat:
Deus, inquit, Praedestinavit ad regnum, quos ad se **PRAE-**
SCIVIT MISERICORDIAE PRAEVENIEN-
TIS AUXILIO REDITVROS, & in se misericordiae
subsequentis auxilio, esse **MANSVROS**.

66. Hac ipsa de causa & nos in definitione ponimus,
Deum elegisse eos, qui **OPERATIONE SPIRITVS**
sancti credituri erant: hoc est (ut supra declaravimus) usu
mediorum ad fidem perventuri, virtute non sua, sed ex toto,
& in solidum divini spiritus operatione merè gratuita.

67. Hoc pacto Praedestinationis aeternae propositum illud
est & manet causa nostrae fidei: sicut & missionis, passionis,
& mortis filij est causa, atque nihilominus reciproco causa-
rum & effectuum, sub diverso genere, quasi reflexu, missio
illa, passioq; Christi causa vicissim est meritoria nostra ad
salutem electionis.

68. Fidem verò, quatenus Christum intuetur, & grati-
am eligentis Dei amplectitur, si quis causam electionis dice-
re formidat, satis nobis est, quod nolens volens fateri cogi-
tur causam electionis esse Christum, idq; non simpliciter, sed
in suo merito, per fidem imputato, cum citra fidei imputatio-
nem, nobis nec Christus, nec meritum eius ad salutis rationes
quicquam conferat.

69. Nec litigabimus cum quoquam, sive ille fidem ap-
pellet causam (non meritoriam, **PROPTER** quam eligamur,
sed instrumentalem, ut & in negotio iustificationis) sive
determinationem, sive perpetuam electorum notam, dum
modo agnoscat, illam ab Electionis arcano non seclusam, sed
eidem (ut & Liber visitationis habet) dicta ratione inclu-
sam.

fam, quod invictis argumentis haecenus est demonstratum.

70. Obijcitur equidem Divi Augustini dictum, quo invenit, non eligi nos, quia credimus, sed credere, quia electi sumus.

71. Et hoc quidem de causa meritoria intellectum, verissimum est. Neque enim PROPTER praeviam fidem sumus Electi, ut nec iustificamur PROPTER fidem, sed PER illam.

72. Remota autem opinione meriti, ut, & Pelagianorum ac Synergistarum errore, agnoscit Antiquitas rectè scripsisse eundem Augustinum lib. 1. de praedestinatione, cap. 3. Non elegit Deus opera cuiusquam in praescientia, quae ipse daturus est, sed FIDEM elegit in praescientia, ut quem sibi daturus est, sed FIDEM elegit in praescientia, ut quem sibi crediturum praescivit, ipsum elegerit.

73. Quam sententiam repetivit tractatu in Ioannem 4.2. his verbis: Quoniam PRAESCIVERAT, qui fuerant CREDITURI, ipsos dixit ex Deo, quoniam regenerationis adoptione nascerentur ex Deo. Ad hos pertinet: qui ex Deo est, verba Dei audit. Quod verò sequitur: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis, eis dictum est, qui non solum peccato vitiosi erant, nam hoc malum commune erat omnibus: sed etiam PRAECOGNITI, quod NON fuerant CREDITURI ea fide, qua sola possent à peccatorum obligatione liberari. Quapropter PRAESCIEBAT, illos, quibus talia dicebat, in eo permansuros, quod ex Diabolo erant, id est, in suis peccatis atq; impietate morituros, in qua ei similes erant, nec venturos ad regenerationem, in qua essent filij Dei, hoc est, ex Deo nati, à quo erant homines creati. Secundum hanc PRAEDESTINATIONEM locutus est Dominus, non quod aliquem hominem invenerit, qui vel secundum regenerationem iam esset ex Deo, vel secundum naturam iam non esset ex Deo.

C 2 Idem

74. Idem ad unguem docet Ambrosius lib. 2. devoca-
tione gentium cap. 10. his verbis: In Electione, quicquid ho-
minum in Christo PR AECOGNITVM non est, nulla et-
dem ratione sociabitur.

75. Idem in cap. 9. Rom. Eius miserebor, quem PR AE-
SCIVI post errorem recto corde reversurum ad me.

76. In cap. 11. Ne omnem Israel dixisse diffidentem pu-
taretur, ostendit, non repulisse Deum hereditatem suam,
quam PRAESCIIIT, id est, filios Abraham, quos FIDELES
sibi FUTVROS SCIT. Nec enim promitteret eis regnum,
si SCIRET, nullum ex his CREDITVRVM.

77. Et mox: Non repulit Deus plebem suam, quam praescit
Hoc est, quod dicit Salvator, Ioan. 17. Pater, quos dedisti
mihi, custodi, & nemo ex his perijt, nisi filius perditionis.
Ita & hi, quos PRAESCIIIT Deus CREDITVROS,
nemo ex his a promissione repulsus est.

78. Et rursus: Hoc est, quod vult intelligi, non iam
ideo dignos esse eos omnes, quia filij sunt Abraham, sed illos
esse dignos, qui filij promissionis sunt, id est, quos PRAE-
SCIIIT Deus promissionem suam SVSCEPTVROS, sive ex
Iudeis, sive ex gentibus.

79. Hieronymus super verba, Rom. 8. His, qui secundum
propositum vocati sunt) scribit: secundum quod (propositum)
proposuit sola FIDE salvare, QVOSPRAESCIVERAT
CREDITVROS, & quos gratis vocavit ad salutem, mul-
to magis glorificabit ad salutem.

80. Idem super verba Rom. 11. non repulit Deus popu-
lum suum, ὅτι πρὸ ἔργου, quem praecognovit) illam, inquit, ple-
bem, non repulit, QVAMPRAESCIVIT ESSE CRE-
DITVRAM.

81. Theophylactus deniq; exponens illa verba Apostoli,
2. Tim. 2. NOVIT Dominus, qui sunt SVI: hoc est, a Deo
sunt

sunt **PRAE COGNITI**, ut qui omnino ad eum pertineant
& electi sint, ut ne pervertantur cum marcidioribus, & pu-
tridioribus.

82. Et quid opus Antiquitatis testimonijs, cum is, qui
antiquior omnibus est, Christus, dicat de ovibus suis, id est,
de electis: Ego **COGNOSCO** oves meas. Ioan. 10.

83. Cognoscit autem illas ab aeterno. Et quos ab aeterno
cognovit fore oves suas? Nimirum credentes in illum, ipsomet
hunc in modum explicante ad Iudeos: Vos **NON CREDI-**
TIS, quia non estis ex **OVIBVS** meis, quemadmodum di-
cebam vobis: oves mea vocem meam audiunt, & ego **CO-**
GNOSCO eas.

84. Ex quibus verbis Liber Concordiae manifestum di-
scrimen facit inter electos & non electos, dicens: Qua de cau-
sa **ELECTI** his notis, in sacris literis, **AB ALIIS DI-**
SCERNENDI, describuntur: Oves mea vocem meam
AVDIVNT, & ego cognosco eas &c.

Ab alijs,
scilicet non
electis.

85. Econtra de Iuda, & reprobis legitur, quod illorum
relectio referatur in incredulitatem eorum praescitam, vel ab
initio praecognitam: dicente Ioanne: **NOVERAT** Iesus
AB INITIO, qui essent **NON CREDENTES**, & quis
proditurus esset illum. Et haec quidem de fidei in Christum
praescientia satis.

86. Addit definitio, **OMNES** eos, qui credituri erant, esse
electos ad salutem.

87. Universalem igitur esse electionem apparet univer-
salitate, non totum respiciente Mundum, sed ad omnes in
Christum Iesum verè credentes pertinente.

88. Quo modo & Iustificatio, & promissiones illae Evan-
gelicae, quae fidei determinationem implicant, universales
sunt.

89. Ut cum dicitur: Omnis, qui crediderit in eo, non pu-
desiet: Omnis, qui credit in eum, non perit, sed habet vitam
eternam

Rom. 9.

Ioan. 3.

Ioan. 6.

Matth. 10.
& 24.

eternam. Quicumque credit in me, habet vitam eternam.

90. *Quemadmodum autem hæ propositiones hypothesein perseverantia includunt, iuxta explicationem salvatoris: qui perseveraverit usq; ad finem, salvus erit.*

91. *Sic & propositio, qua dicitur, Omnes credentes esse à Deo electos, itidem cum perseverantia determinatione intellegendenda est.*

92. *Siquidem qui ad tempus credebant, & deficiebant postea, erant sanè renati, erant iustificati: quia verò propria culpa rursus excidunt, nec ad glorificationem usq; pertingunt, ideò ex electis non sunt, nisi minus propriè illos tempore fidei illorum electos nominare libeat, quatenus ad tempus duntaxat habuerunt ea per fidem, qua electi ad finem usque retinent.*

93. *Propriè autem, & ex scriptura phrasi solos eos nominari electos, qui ad finem usq; perseverant, paulò post demonstrabitur.*

94. *Porrò sicut ratione omnium verè, & perseveranter credentium Universalis est electio: sic respectu totius mundi particularem eam esse, certissimum est.*

95. *Christus ipse hoc bis confirmat, dum PAVCOS ait esse electos. Matth. 20. & 22.*

96. *Nec tantum in nomine verbali pauci sunt ἐκλεκτοί: sed in participio quoq; pauci à Deo ἐκλελεγμένοι.*

97. *Sic enim Paulus docet, DEVM ipsum eligere NON MVLTOS sapientes secundum carnem, NON MVLTOS potentes, NON MVLTOS claro genere natos. 1. Cor. 1. ob hoc ipsum videlicet, quia Dei sapientia se opponunt.*

98. *Particularitatem esse electionem, amplius ostendit ipsa vox. Siquidem Salomon vocabulum eligere, in ipsa hac materia interpretatur per SEPARARE, pronuncians, Deum SEPARASSE sibi Israelitas in hereditatem DE VNIVERSIS POPVLIS, terra. 1. Reg. 8.*

Quod

99. Quod Moses commutato verbo sic effert: Te **ELEGIT** Dominus, ut sis ei populus peculiaris de **CUNCTIS GENTIBUS** terre. Deut. 7.

100. Ad quam separationem electorum à reliqua reproborum multitudine respiciens Salvator ait: Ego **ELEGI** vos DE **MUNDO**. Ioan. 15. Item: Manifestavi nomen tuum hominibus, quos **DEDISTI** mihi DE **MUNDO**. Non pro **MUNDO** rogo, sed pro his, quos **DEDISTI** mihi, Ioan. 17.

101. Ideoq; dicuntur electi **SEMEN** sanctum, **RELICTI** in **Zion**, **RESIDVI** in **Ierusalem**, **RELIQUIAE** salvandorum, **RELIQUIAE** secundum **ELECTIONEM** gratiae, Rom. 15.

102. Et quia Paulus in catena illa sua, Rom. 8. tradit manifestè, Deum quos praedestinavit, etiam **VOCARE**; maneat igitur inconvulsa doctrina Ecclesiarum hinc astructa, extra cœtum vocatorum sive Ecclesiam non esse querendos electos.

103. Praesertim cùm, teste Christo, cœtus electorum angustior etiam sit vocatorum cœtu: **MULTI** vocati, **PAUCI** electi.

104. Quia rursus docet Paulus, illos praedestinos, & secundum propositum vocatos etiam iustificari, & quidem ita iustificari, ut eis crimina amplius intentari nequeant: ne conemur electionem ultra iustificatorum cœtum extendere.

105. Omnes enim electos iustificari, omnes ad fidem (qua iustificamur) pervenire, omne, quod Christo (sub ratione aeternae praedestinationis) datum est à patre, ad ipsum venire: Ioan. 6. omnes oves Christi, sive (quod idem est) electos cognoscere Ioan. 10. Pastorem suum, & sequi illum, & quotquot praedesignati sunt Actor. 13. ad vitam aeternam, credere: & fidem iustificam illam esse Tit. 1. dem electorum Dei, quae ipsa tamen fides non est omnium simpliciter hominum (2. Thess. 3.) perpetua est, & decisiva totius scripturae sacrae sententia.

Quia

106. Quia deniq; concludit Apostolus, quos Deus predestinavit, tandem glorificari: palam est, predestinatorum & electorum nomen & definitionem proprie ad eos solos dirigi, qui salvantur.

Esa. 10.
Rom. 9.
Rom. 11.

107. Reliquia enim ille (electorum) salvabuntur, inquit ex Esaia Paulus Apostolus. Et electio *ASSEQUITUR* salutem, quam licet quesitam (sed ex operibus quesitam) Israel affecutus non est; Et electi illi secundum precognitionem Dei patris, custodiuntur virtute Dei per fidem ad salutem: & reportant finem fidei, salutem animarum; & salvabitur *OMNIS*, qui scriptus est in libro.

1. Per. 1.
Dan. 12.

Matth. 24.
Ioan. 10.
Rom. 8.
Ioan. 6.
2. Tim. 2.
Matth. 24.
Matth. 25.

108. Nec in erroribus intereunt electi; nec rapiuntur de manibus Christi, & Dei, nec separari possunt per ullam creaturam a dilectione Dei, quae est in Christo Iesu, Domino nostro. Nec perdit Christus quicquam ex *OMNIBVS*, quae pater dedit illi; sed resuscitat ea in novissimo die; solidum enim stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc; Novit Dominus, qui sint sui. Qui etiam in novissimo die simul omnes congregabuntur, & statuentur ad dextram, audituri sententiam: Venite benedicti &c.

Heb. 3.

109. Hec vero non eò sunt accipienda, quasi certae quaedam ac definitae personae ita sint absolute electae, ut nulla ratione damnari possint; sed quod Spiritus sanctus his solis electorum nomen attribuat, qui ad finem usque initium substantiae (ut Epistola Hebraeis inscripta loquitur) firmum retinent.

110. Qui vero, cum renati fuerant, deficiunt rursus, hi ob hanc ipsam causam non sunt ex electis, quia deficiunt. Qui si mansissent in bonitate (sicut implorato Spiritus sancti auxilio manere poterant) ex electis utiq; fuissent.

111. Et conservasset Deus hos quoq; ad salutem, si non ipsi sese sponte rursus avertissent à sancto precepto, quod eis traditum fuerat. 2. Petri 2.

Quemadmo-

112. *Quemadmodum certè causam omnem, quod ij, qui renati aliquando fuerant, rursus excidunt, & quidem nonnulli eorum finaliter, scriptura non in Deum rejicit, aut eius æternum aliquod decretum de absoluta illorum reprobatione factum, sed in ipsosmet homines apertè confert. Ezech. 18. Rom. 11. Heb. 6. & 10. 2. Pet. 2. Apocal. 2.*

113. *Idcirco licet ratione præscientia Dei certum numerum esse electorum Dei non negemus, quatenus Deo, quem nihil latere potest, certò constat, qui, & quot credituri sint, & ad finem perseveraturi: tamen eum numerum ad certas quasdam personas absolute restrictum, aut sic fatalem esse, ut nec auctior fieri potuerit, nec contractior: id verò constanter pernegamus.*

114. *Paulus enim contractiorem illum fieri potuisse luculenter edocet, quando se (quem ex electis esse, & in bono permansurum esse non dubitabat) nihilominus reprobum fieri posse pronunciat, si carni suæ frenum non inijciat. 1. Cor. 9.*

115. *Christus porro auctiorem illum potuisse fieri confirmat, cum ipsos etiam Tyrios & Sodomitas, si tanta miracula, quanta in Galilæa civitatibus, apud ipsos edita forent, converteri, & salvari potuisse, religiosa attestazione palàm asseverat.*

116. *Quæ asseveratio de nihilo foret, si ab illo salvandorum & electorum numero Sodomitæ per absolutum decretum fuissent rescissi.*

117. *Certus autem fuisset nihilominus & omniscio Deo cognitus ille numerus, quicumq; tandem futurus erat, si vel Paulus factus esset reprobus, vel Sodomitæ conversi vicissim, salvatiq; fuissent.*

118. *Ex his, quæ dicta sunt, liquet, infinitum esse discrimen inter particularitatem Calvinisticam illam, & particularitatem à Christo notatam, cum ait: Pauci electi.*

119. *Primò enim causam eius particularitatis & præ-*
D teritio-

teritionis qua in ipsa electione constituitur faciunt Calviniani non incredulitatem & impenitentiam hominum praeviam: sed ipsammet primam & supremam, simplicem & absolutam Dei voluntatem, causas, ut ipsi loquuntur, omnes reliquas antegressam.

Videlibrum
Visitationis
Apologeti-
cum.

120. Christus e contra praeteritionis istius causam non in antecedentem Dei voluntatem confert: siquidem, quoad voluntatem illam beneficam Dei qua sitit & expetit omnium hominum salutem, NEMO QVISQVAM in toto genere humano est praeteritus.

121. Adeo, ut si Electio hac sola voluntate Dei, citra reliquarum causarum aspectum, desiniretur, omnino tam late pateret electio, quam voluntas illa Dei.

Ezech. 33.
2. Pet 3.

122. Sicut autem in conversione, & salvatione fit praeteritio, non ex voluntate illa Dei (vult enim converti, & salvari omnes homines) sed ex defectu reliquarum causarum, quae ad efficiendam hominum conversionem, & salutem pertinent, & verò hominum culpa intervertuntur: sic & in electione fit praeteritio non ex voluntate misericordiae Dei, (quae ad universum mundum se extendit) sed videm ex defectu causarum, reliquarum, ad electionis efficientiam requisitarum: ut tam non possit dici, omnes homines esse electos, quam nec affirmare licet, omnes homines converti, & salvari.

123. Interim sanctè asseveramus, nos primum alere & conservare consensum cum sinceris ijs Doctoribus, qui hanc Dei voluntatem nominarunt electionem, dicentes, Deum elegisse omnes homines ad vitam aeternam, sumpto eligendi verbo in significatione minus propria: dummodo fateantur, aeternam Dei electionem, si in proprio suo significato, ut eam scriptura definit, accipiatur solummodo esse τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ ἐς ζωὴν αἰώνιον. 1. Tim 1. hoc est, eorum, qui CREDITURI erant in ipso ad vitam aeternam.

124. Nam quod obijcitur, omnem voluntatem esse

πρὸς αὐτὸν

προαίρεσις, id est, electivam, seu cum electione coniunctam, ambiguitas est in latino vocabulo, quæ græcorum vocabulorum distinctione solvitur.

125. Aliud enim est προαίρεσις, quæ est voluntatis in agendo determinatio, de qua Philosophus disserit lib. 3. Ethicorum, Aliud verò est ἐκλογή, quæ de loquitur scriptura, & electorum separationem ab alijs, ut vocis significat, teste Moise, Solomone, Christo, Paulo.

126. Aliàs si quis in hac disputatione Philosophicum illud pronunciatum de omni voluntate electiva merosè urgeat: quid aliud lucrabitur, quàm quòd Calvinistarum dogmati patrociniabitur?

127. Etenim, quia Deus abscondit mysterium Evangelij à prudentibus huius seculi, idq; teste Salvatore, VOLENS (voluntate videlicet non antecedente, sed consequente, & in gratitudinem mundi puniente) sequetur ut axiomatis illius sinistrè intellecti, Deum prudentes huius seculi ELIGERE, & prædestinare ad hanc pœnam: quod Calvinianum est.

Certè pater, sic fui iudicia bona VOLUNTAS apud te.

128. Sic quia de filijs Eli dicitur: non obedierunt Patri suo, quia Dominus VOLUIT illos occidere (scilicet ob completam mensuram impietatis) quia clamat Apostolus: Deus VOLENS ostendere iram suam, tulit multa animi lenitate vasa iræ: certè si omne velle Dei est eligere, aut prædestinare sequetur, Deum filios Eli ad occisionem, vasa iræ autem ad ostensionem iræ elegisse & prædestinasse: quæ ad unguem est Calvinistarum impia doctrina.

129. Cæterum, ut in instituto progrediamur, Calviniani particularitatem ingerunt ipsè quoq; Redemptionis operi à Christo præstito, docentes flagitiosè, Christi carnem pro impijs non esse crucifixam, nec sanguinem eius expiandis eorum peccatis esse fusam. Quæ Calvinii sunt verba, multoties à discipulis eius, quod alibi ostensum est repetita.

130. Nos hanc particularitatem corde & ore damnamus,

Calvinus contra Helium.



mus, & execramur: universalitatem verò meriti Christi
constanter asserimus, profitentes cum Ioanne: Christum esse
propitiationem pro peccatis nostris, non nostris autem tan-
tùm, sed etiam TOTIVS MVNDI. 1. Ioan. 2.

131. Atq; sic mortuum esse pro universis ad unum homi-
nibus: etiam pro pereuntibus, teste Apostolo Rom. 14. & 1. Co-
rinth. 8. Cuius sanguine sanctificati fuerant ij quoq; qui cum
essent inserti Ecclesie Dei, postea prolapsu universali defici-
unt, et aeternum intereunt. Heb. 10. Quin & eos MERC A-
TVS est Christus, qui abnegando hunc redemptorem suum
ipsi sibi celerem accersunt damnationis interitum. 2. Pet. 2.

132. Vt compendio dicamus, Deus per Christum recon-
ciliavit cuncta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius
per eundem, sive qua in terra sunt, sive qua in caelis. Ephe. 1.
Coloss. 1. Huic universalitati redemptionis, & meriti Christi
repugnat è diametro particularis electio Calvinistica, utpote,
cuius vi redemptio illa non universo mundo, sed quibusdam
duntaxat absolutè predestinatis parta & acquisita sit.

133. Nos verò particularitatem Electionis, qua remo-
vetur à Deo causa preteritionis, & in spretum usum medio-
rum salutis confertur, non opponimus universalitati meriti
Christi (quod tum fieret, si diceremus, vi predestinationis
absolutae quosdam à beneficio redemptionis Christi simplici-
ter esse reiectos) sed eidem illam ὑπερκαλλῶδες subijcimus, imò
Electionem SECVNDVM hanc VNIVERSALEM red-
emptionem explicandam esse monemus.

134. Non ita quidem, quod utramq; eiusdem putemus
esse latitudinis, sed quod Electio, qua particularis est, re-
demptioni Salvatoris, qua universalis est, inclusa sit, & ex
eadem promanet.

135. Quemadmodum & Divus Paulus, Ephe. 1. ex hoc
fonte uniuersalis redemptionis, reconciliationis & restau-
rationis omnium, electionem nostri deducit, non quidem
aque

aeque late patentem (ut qua non sola hac redemptione definiatur) sed particularitate sua redemptioni universali *ὑπάρχουσιν* inclusam, eamque ad hos refert, qui redemptionem Christi apprehendunt, hoc est (ut ipsemet istic loci perspicue declarat) ad sanctos, ad fideles, ad benedictos omni benedictione spirituali in caelestibus, ad *νεχαριτωμενες*, seu in gratiam receptos, ad adoptatos in filios, ad HABENTES redemptionem illam Christi, per sanguinem ipsius, REMISSIONEM peccatorum: ad ascitos in sortem, nempe sortem SANCTORVM in lumine, Col. 1. sortem competentem sanctificatis per fidem erga Christum, Act. 26.

136. Nam & Iustificatio nostra ex eodem hoc fonte acquisita per Christum redemptionis deducitur, & secundum illam explicanda est, nec tamen Iustificatio ipsa est universalis omnium hominum, sed solorum credentium.

137. Denique Calviniani particularitatem ingerunt in sacrosanctas promissiones Evangelicas, quas Deus universales esse iussit ac voluit.

138. Nam praeter id genus promissionum, quod fidei respectu limitatum est, sunt quaedam, quae simpliciter universales sunt. Veluti: Sic Deus dilexit MVNDVM Vivo ego, nolo mortem impij, sed ut impius convertatur, & vivat. Deus vult OMNES HOMINES salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. Convertimini ad me, & salvus eritis OMNES FINES TERRAE, Annunciat Deus hominibus, ut OMNES VBIQUE resipiscant. Venite ad me OMNES, qui laboratis & onerati estis: ego reficiam vos. Non vult Deus, ut VLLVS pereat, sed OMNES ad poenitentiam recipiantur. Concluserunt Deus omnes sub incredulitatem, ut OMNIVM misereatur.

Ioan. 3.
Ezech. 33.
1. Tim. 2.
Esa. 45.
Act. 17.
Matth. 11.
2. Pet. 2.
Rom. 11.

139. Has universales promissiones facere particulares, propter anteceptam particularitatem Electio nis absolute, quam somniant adversarij: extreme flagitiosum, & in eternam Dei maiestatem blasphemum est.



140. At particularitas Electionis à Christo tradita, reijctens causam præteritionis non in Deum, sed in neglectum & contemptum organorum salutis, intactam & inconvulsam relinquit promissionum istarum universalitatem, & quod non omnes fructu promissionum potiuntur & salvantur, culpam non penes Deum, sed penes homines residere demonstrat.

141. Coronidis loco monebimus aliquid etiam de finibus prædestinationis. Primus est respectu Dei, laus misericordie Dei erga vasa gratie, quæ preparavit in gloriam. Rom. 9. ut laudetur gloria gratie ipsius. Ephes. 1.

142. Respectu nostri verò, in hac vita, ut sancti simus, & irreprehensibiles coram ipso, Ephes. 1. in seculo altero autem finis ultimus gratie nostre prædestinationis est vita aeterna.

143. Ex his finibus, quatenus illi in sola Dei intentione vertuntur, non licet argumentari ad universalem Electionem omnium hominum exadificandam.

144. Non enim firma est connexio: laus gloriae gratie Dei (quæ est finis Electionis) est communis omnibus hominibus, (siquidem omnes sumus conditi ad gloriam Dei) Ergo & Prædestinatio, seu Electio est communis omnibus hominibus.

145. Nam probatio Antecedentis confundit diversos status hominis, ante, & post lapsum Omnes creati sumus ad gloriam Dei, ratione primiva iustitie concreati.

146. Hec postquam lapsu primorum parentum amissa est: iam in reparatione, post lapsum, condimur in Christo Iesu ad gloriam Dei, non immediata ratione, sed mediata, per verbum vera fide susceptum.

147. Sic finis iste, gloria nimirum Dei, non iam dependet ex nostri creatione, qualis ea contingit hodiè interveniente

ente generatione parentum, sed ex creatione nova, quae est
παλιγενεσία ex aqua & spiritu.

148. Juxta illud si quis est in Christo Iesu, nova crea-
tura est. 2. Cor. 5. Et Esa. 43 Qui INVOCAT NOMEN
DOMINI, ad gloriam meam creavi illum.

149. Ergo finis iste (gloria gratiae Dei) haud perinde
cunctis post lapsum communis est. In multis enim finis longè
alius sese offert, videlicet manifestatio iustitiae, & ostensio
irae Dei, ut de vasis ignominiae à Diabolo ad interitum appa-
ratis Paulus Apostolus expresse testatur, Rom. 9. 2. Tim. 2.

150. Idem respondetur de fine altero, qui est, ut simus
sancti & irreprehensibiles coram ipso Ephes. 1.

151. Etenim si propterea Electio statuenda foret omni-
um promiscuè & indifferenter hominum quia eligimur, ut
simus sancti & irreprehensibiles: quidni etiam Iustificatio
pertineret ad omnes, cum ob eundem istum finem iustifice-
mur etiam ut videlicet sancti simus & inculpati coram Deo?

152. Sicut autem non procedit argumentum de Iustifi-
catione: ita nec de Electione.

153. Agitur enim de fine, non ut ille in sola Dei inten-
tione pensuatur, (qua ratione apud plerosq. per incredulitatem
intervertitur) sed ut is vera fide apprehendatur.

154. Quod cum è paucis fiat, Electio quoq. ut & Iustifi-
catio, non omnium, sed scriptura teste, paucorum est. Et an-
timum de Electione filiorum Dei.

CAPVT TERTIVM.

T H E S E S

DE LIBERO ARBITRIO,

Quas defendet Dn. Philippus Nicolai,

VVildungensis Ecclesiae

Pastor.

Propo-



PROPOSITIO PRIMA.



Vm in quadruplici statu consideretur homo: primo ante lapsum, deinde post lapsum, antequam convertatur ad Deum; tertio post conversionem in hac vita, & denique post mortem in vita altera; totius controversie in hoc articulo cardo in eo duntaxat vertitur: an homo corruptus, nec dum renatus, ex naturalibus suis viribus parare se ad gratiam, verbum Dei naturali luce intelligere, & credere, vel etiam in ipso conversionis actu Spiritui sancto moventi, ex sese assentiri queat.

2. Principio autem observandum est, superesse homini etiam post lapsum essentielles anime potentias, intellectum & voluntatem.

3. Superest ei quoque in rebus externis & mundanis, que rationi subiecta sunt, aliqua intelligentia lux, quamvis exilis admodum, aliqua etiam, sed itidem tenuis valde, libertas eligendi bonum morale, fugiendique peccata crassiora.

4. Apostolus tribuit gentibus τὸ γνωσθῆναι τὸν θεόν, testificans, ipsos aliquo modo cognovisse Deum, ex creatione mundi, per quam eterna potentia & divinitas ipsius quoque gentibus innotuerit, Rom. 1.

5. Et patet ex definitionibus Dei, que à Philosophis gentilibus tradite sunt, quousque homo notitijs insitis per contemplationem operum Dei excitatis potuerit assurgere, ut quid esset Deus, aliquo modo perspiceret, videlicet mens eterna, sapiens, Omnipotens, casta, iusta, bona, conditrix rerum, autor boni in natura &c. *QUIS* autem esset ille Deus, nempe Pater, filius & Spiritus sanctus, & quomodo erga nos affectus: id verò penitus ignorarunt Ethnici.

6. Noverant præterea discrimen honestorum & turpium, ex insito nature lumine, & aliquo modo faciebant τὰ τὸ νόμος, ostendentes opus legis scriptam in cordibus suis. Rom. 2.

7. Ceter

144
7. *Ceterum in rebus, salvificam Dei notitiam, aeternaeque salutis rationes atinentibus, nec intellectus hominis, nec voluntas eius quicquam facultatis aut virium retinuit.*

8. *Equidem intelligentiam litera non adimimus hominibus etiam non renatis & impijs, qui sua regeneratione exciderunt, quos saepe videmus de summis articulis egregie disputare posse.*

9. *Sed ea ipsa cognitio non est merè naturalis. Siquidem, nisi Deus verbum suum patefaceret, nunquam istae res, quae in verbo traduntur, ullius hominis mentem subire potuissent.*

10. *Est verò haec cognitio sacrorum apud illos, non spiritus, sed litera, sine spirituali motu cordis, sine obfignatione spiritus, sine fiducia erga Deum, ac sine pia affectione mentis.*

11. *Porrò, quoad externam pedagogiam attinet, quae ministerio praestatur, largimur etiam homini nondum converso, quod possit accedere concionem verbi, vel non accedere, audire, vel non audire, imò etiam cognoscendi studio audire, meditari aliquo modo, vel abijcere: contemnere & blasphemare verbum, vel non contemnere (de actuali contemptu loquimur) & non blasphemare. Quin potest homo etiam non renatus, habere zelum Dei, tametsi non secundum scientiam, ut de reprobis Iudeis Apostolus disertè scribit, Roman. 10.*

12. *Quid, quòd famem insuper audiendi verbi, scriptura hominibus etiam non renatis adscribit, Amos 8. Marcus de Herode, homine inconverso, memorat, quòd Ioannem Baptistam LIBENTER audierit, Marci 16.*

13. *Et haec quidem, etsi per se ad conversionem ne tantillum quidem faciant: negari tamen non potest, pertinere ea ad illam ministerij pedagogiam externam, per quam Deus efficacem se futurum spondit.*

E Certè

14. Certè, quia palàm asserit Paulus, fidem esse ex auditu: experientia ipsa testatur, & scriptura loquitur, multos, qui verbi prædicationem audiunt, trahi à patre & converti, cæteris, qui verbum ne audire quidem sustinent, in sua impietate manentibus ac pereuntibus.

15. Et citius fructificare verbum in auditoribus eius, quàm manifestis contemtoribus: adeò verum est, ut nemo sanus inficiari queat. Iuxta illud Christi: Omnis, qui audivit à patre, & didicit, venit ad me, Ioan. 6. Quanquam & hoc monendum est, ut homo non solum non audiat, sed iam assensu quodam audiat, hoc non naturalibus viribus congruere, sed operanti Deo.

16. Qualiter de Lydia purpurarum venditrice Lucas refert, quòd Dominus aperuerit cor eius, ut intenderet his, quæ dicebantur à Paulo. Act. 16.

17. Discrimen itaq; inter externam & pædagogicam illam Ministrærii obedientiam, & inter spiritualem intelligentiam verbi, assensionemq; fidei etiam atque etiam tenendum est.

18. Illa in nostra adhuc est potestate: hæc verò non, nisi divini spiritus operatione contingit.

19. Illa non meretur, non efficit conversionem: id est, nec habet rationem causa efficientis, nec meriti, ob quòd convertamur, sed tantum rationem organi: idq; non per se, sed ex instituto & ordinatione illa Dei. Roman. 10.

20. Quamobrem ut in P R A E D I C A T I O N E verbi, neq; qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum, Deus: sic in A U D I T U verbi, neq; qui currit, neque qui audit aut mediat, est aliquid, sed qui huic auditui misericorditer benedicit, & tonitru sui virtutem largitur.

21. Atq; nihilominus ut P E R prædicationem operari hominum salutem statuit. 1. Corint. 1. Sic P E R auditum fidem accendere decrevit, Rom. 10.

22. Quam tamen operationem fidei & salutis homo ipse haud raro impedit, spinis voluptatum & curarum huius seculi suffocans semen verbi, ut parabola testatur, Luc. 8.

23. Exemplo est Herodes, in cuius corde verbum à Ioanne prædicatum, quod ipse aliàs L I B E N T E R audiebat, fructificare præ spinis peccatorum non poterat: à quibus externis & crassioribus peccatis homo aliàs suis etiam viribus relictus abstinere potest, quod saniorum Ethnicorum exempla testantur.

24. Porro

24. Porro quod attinet spiritualia, puta gratiam Dei, salvificam ipsius notitiam, conversionem, fidem, iustitiam coram Deo valentem, & eternam salutem: ad hæc homo ex proprijs viribus se nec preparare, nec Spiritui sancto vel tantillum cooperari potest.
25. In his enim intelligendis, quæ salutem nostram attinent, mens nostra planè cæca est, & tenebra. Ioan. 1. & Ephes. 5. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere, quod spiritualiter dijudicatur.
26. Ideoq; Paulus in rebus fidei τὸ νόημα (quæ eminentissima est intelligentis animæ facultas) in obsequium Christi captivandum monet. 2. Corinth. 10. quandoquidem mysteria doctrine Evangelicæ simpliciter ab omni humana ratione sunt remota, & à seculis abscondita in Deo Rom. 16. 1. Corinth. 2. Ephes. 3. nec Caro, aut sanguis revelant ea, sed Pater, quæ est in cælis. Matth. 16.
27. Voluntas quoq; hominis nondum regenerati tota est averfa à Deo. Sicut scriptum est: sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Rom. 8.
28. Et ex nobis, tanquam ex nobis, non sumus idonei cogitare bonum. 2. Cor. 3. Sed Deus est, qui dat velle, & perficere. Philip. 2.
29. Hanc depravationem intellectus & voluntatis secuta est ceterarum quoque facultatum, quæ menti voluntatiq; subsunt, ut & membrorum corporis, horribilis ἀταξία: quam Apostolus Rom. 3. ex Psalmo 14. alijsq; scripturæ locis graphicè ob oculos statuit.
30. Hinc scriptura nos in peccatis ad spirituale bonum mortuos esse, priusquam vivificamur à Deo, perspicuè testatur. Ephes. 2. Coloss. 2.
31. Quemadmodum igitur homo naturaliter extinctus nullas vires retinet se ipsum ad vitam revocandi: sic homo in peccatis mortuus, ad vitam, quæ ex Deo est, in sese efficiendam, nihil prorsus valet.
32. Quod Christus Ioannis 15. perhibet: sine me nihil potestis facere. Et pie canit Ecclesia: sine tuo numine, nihil est in homine.
33. Proinde laus omnis nostræ ad Deum conversionis Deo in solidum adscribitur; dicente Propheta: Convertite me, Domine, & convertar. Postquam enim tu convertisti me, egi pœnitentiam. Ier. 31.
34. Sic conversionis nostræ causa est Deus, Spiritu suo trahens per verbum, & ex nolente volentem, ex repugnante obedientem efficiens.
35. Voluntas autem in ipso Conversionis actu, non est causa cooperans,

sed tantum subiectum convertendum, respectu gratiae Dei in accendendis novis
motibus pure passivè sese habens, ut Lutherus scribit.

36. Notat enim sua hac phrasi Lutherus Conversionem, quatenus ea de-
finitur illa hominis mutatione, qua ex statu corruptionis ad novum gratiae
statum traducitur, & in homine, ut subiecto suo, terminatur.

37. Non negans interim, latiore significato vocabuli conversionis,
quando pro poenitentia sumitur, & actionem fidei comprehendit, hominem
ita iam mutatum sua vicissim actione sic in convertentem Deum quasi re-
flecti, ut mens illuminata iam vicissim agat, hoc est, Christum Iesum fide
cognoscat, & voluntas Deum, quem prius oderat, amet, eiu^q voluntati se
subijciat.

38. Quanquam hoc ipsum quod agit, quod intelligit, expetit, & efficit
ea, quae Dei sunt, nequaquam proprijs humani arbitrij viribus adscribitur,
sed virtuti Spiritus sancti unice acceptum fertur.

39. Nec tamen perfectè vel cognoscei, vel etiam vult homo renatus est,
quae Dei & legis ipsius sunt, sentiens adhuc membris suis legem peccati, re-
bellantem legi mentis suae, & captivum illum reddentem legi peccati. Rom. 7.

40. Ita verò sentit reliquias infirmitatum carnis, ut interim Spiritu
sancto animatus depugnet contra concupiscentiam, & peccatum. Victus etiam non-
nunquam tentatione Satanae & peccati, Deo manum supponente non perse-
verat in lapsu, sed resurgens pugnam priorem redintegrat, donec, superato
certamine, tandem ad optatam perfectionem alterius seculi pertingat, ubi
non modo non peccabunt amplius electi, sed in bono plenè confirmati ne qui-
dem poterunt peccare amplius, aut salute sua excidere.

F I N I S.

AB

50A $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3
003 485 560




Sch

Rest.
Sep./Okt 84 Schuss.







12 125

ES DE
A CHRISTI,
ATIONE FILIO-
DEI, ET
ARBITRIO.

ante gratia, Praside
S. Theologiae Doctore, &
pro summo in Theo-
consequendo, pro-
nabunt.

Mamphrasius, Ecclesia
uperintendens.

S. Theol. & Hebrae lin-
Academia Grypsvval-

cclesia Vvildungensis Pa-
Comitatu VValdeccensi,

neologico, die 28. Iunij,
lutis 1594.

E B E R G A E

Vidua Matthæi

VVelaci.

M. D. XCIII.

